

sic tantum cedit fructus, qui utique vendibiles sunt. *Lacr. lib. 4. n. 1172.* Pensio mixta jure antiquo redimi, & vendi poterat. *Less. de Just. & Jur. l. 2. cap. 35. n. 124. & 125.* de stylo Curia vendi non potest sine Pontificis autoritate, & vendens punitur, ut simoniacus, tamen redimi posse sine Papæ autoritate, tenent *Suar. Toled. & Less. de Just. & Jur. l. 2. cap. 35. n. 129.* quod negant *Navar. de Simon. conf. 59. n. 1. Flamin. de Resign. 16. q. 2. n. 128. & alij.* Sed usus Curia habet, quod non redimatur pensio ipsa, sine Papæ autoritate, & requiri litteras Apostolicas ad hanc redemptionem. Si tamen propria autoritate redimetur, *Cajet. Suar. Less. & alij.* contra *Henric. Garc. & alios*, dicunt, nullum esse peccatum pensionem jam antecessenter constitutam redimere, anticipatè solvendo; si certa summa daretur, quæ esset velut anticipata solutio decem, vel viginti annorum, considerata ætate, & complexione pensionarij; sed tunc solum esse contractus pensionis secundum proportionem spei lucri, & metus damni, commutando solos fructus cum illa summa pecuniæ, remanente pensione, seu jure ad fructus penes pensionarium, quamvis plus velle videantur prædicti Authores. *Lacr. lib. 4. ex n. 1182.* Pensio transferri potest de una persona in aliam, sed non aliter quam de Pontificis licentia, ubi extinguitur antiqua pensio, & nova ejusdem valoris alteri conceditur. *Garc. de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 242. Azor p. 2. l. 8. cap. 11. q. 2.* Et potest pensionarius, dum sit compos mentis, eam in articulo mortis, sed non per testamentum transferre. *Garc. p. 1. c. 5. n. 56. Lacr. lib. 4. n. 1170.*

115 Non possunt Collatores, nec Patroni aliquam partem fructuum sibi, vel consanguineis retinere. *c. 7. de Consensibus. c. un. h. t.* Et si in ipsa collatione, vel presentatione faciendâ, eos exigerent esset simoniaca, & irrita. *c. un. h. t.* Imò nec Episcopus, nec alij Collatores possunt beneficiorum collationem differte ad percipiendos interim fructus beneficij vacantis; *arg. c. 50. §. fin. de Præbend.* sed hi successorij reservari debent. *c. 4. de Offic. Ordin. c. 9. cod. in 6.* vel debent dividi inter successorem, & Ecclesiam. *c. 40. de Elect. in 6.* Et licet fructus adhuc pendentes tempore mortis beneficiati, etiam debeant successorij reservari, tamen ex consuetudine dividuntur prorata temporis inter heredes beneficiati, & successorem in beneficio. In his Provincijs India-

rum redditus, qui percipiuntur, vacante Ecclesia Episcopali, vel Archiepiscopali, dividuntur in tres partes. Una reservatur successorij, altera Ecclesie vacanti tribuitur, & de tertia disponunt nostri Regis ut Indiarum Patroni, & applicant ad causas pias pro suo arbitrio. *L. 41. tit. 7. lib. 1. R. Ind. Solorz. Politic. Indian. lib. 4. cap. 12.* Potest tamen Episcopus in ipsa collatione cum consensu capituli, non præcedente pacto cum eo, cui est conferendum beneficium, fructus beneficij vacantis si redundantes habeat, in causam necessariam reservare, v. g. ut debita Ecclesie solvantur, vel ut fabrica reparatur. *c. un. h. t. & ibid. Barbos. n. 10. alios citans. L. 5. tit. 14. p. 1. ibi: Pero si el Perlado con su Cabildo eslabielesen de tomar las rentas de algun beneficio, que vacare de su Iglesia, para meterlas en alguna cosa convenible, que fuesse menester a pro de la Iglesia, bien lo puede hacer, & tomarlas fasta algun tiempo cierto: pero esto se entienda, ante que lo oviessen dado.*

¶ Tandem Benedictus XIV. providens congruæ, & decenti sustentationi Clericorum, irritat, & annullat contractus, quibus Clerici alienant, cedunt, vel vendunt redditus annuos beneficiorum, quos donec viverent, possent percipere, accepta pecunia uno actu ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi durant evita possent percipere: Sic in *Const. Universalis An. 1741. **

TIT. XIII.

De Rebus Ecclesia alienandis, vel non.

116 Ecclesia in presenti latè accipitur, ita ut non solum comprehendat Tempia, Capellas, & Oratoria dedicata Sacris Ritibus ad celebrationem Missarum, & Divinorum Officiorum, & in venerationem Sanctorum, sed etiam pia loca, autoritate Episcopi erecta ad operâ pietatis, misericordie, & Religionis exercenda, ut Monasteria, Congregationes, Hospitalia, & similia. *Extrav. Ambrosiana h. t. inter com. Auth. Hoc jus. C. de Sacrof. Ecclesie.* Et quamvis in jure præcipue prohibeatur alienatio, qua res Ecclesie particularis in aliam Ecclesiam transferuntur. *c. 1. h. t.* Alienatio in presenti, non solum comprehendit translationem dominij directi, ejusmodi est venditio,

ditio, donatio, permutatio, &c. *L. 65. ff. de Verb. signifi.* sed etiam translationem dominij utilis tantum, retento directo. *c. 6. h. t.* vel jusculumque alterius juris in re. *L. fin. c. de Reb. alien. non alien. l. 1. tit. 14. p. 1. Gonz. in c. 5. h. t. ex n. 4. & alij.* Prohibetur ergo, præcipue in *c. 5. h. t. L. 1. tit. 14. p. 1.* donatio, venditio, permutatio concessio in feudum, vel emphyteusim: transactio, qua in alium transferuntur res Ecclesie, vel possessionis ejusdem. Cessio litis, quæ pendet super re Ecclesie prohibita alienari. Compromissum, unio perpetua unius Ecclesie, vel beneficij cum alia Ecclesia, vel beneficio. *Arg. Cl. 2. h. t. Condicio, id est pactio, seu conventio, ut in L. 7. c. fin. de Pact. sumitur, quæ quidem afferret Ecclesie præjudicium, etiam citra translationem dominij directi, vel utilis. V. g. si usufructus, vel alia servitus constitueretur. Arg. c. 20. 12. q. 2. L. fin. C. de Rebus alien. non alienandis, omisis alijs hujus vocis intelligentijs apud. Gonz. in c. 5. h. t. n. 5.* Et licet Prælati Ecclesie non possint in re Ecclesie servitutem realem, vel personalem constituere. *L. fin. C. de Reb. alien. non alien.* potest tamen fructus vendere, & locare sine præjudicio successoris. *c. 2. de Locat.* etiam hypotheca specialis prohibetur, non verò generalis: nam hypotheca specialis plus juris transfert in creditorem, quam generalis; quæ magis distat à periculo alienationis. *c. 5. h. t. Covar. lib. 2. Var. cap. 16. n. 7. Barb. de Offic. Episcop. alleg. 19. n. 85.* Etiam continetur in hac prohibitione repudiatio hæreditatis, vel legati. *Gonz. in c. 5. h. t. n. 13.* alios citans, quia licet non sit stricta alienatio, est tamen alienatio lata. *L. 28. ff. de V. S. l. 5. §. 8. ff. de Reb. eorum, qui sub Tutel. ibi: Fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris autoritate non potest: esse enim, & hanc alienationem cum res sit pupilli, valet dubitat.* Et à pupillo ad Ecclesiam valet argumentum. *Arg. c. 1. de In integr. restit.* Nec Prælati potest dux Ecclesie præjudicare, quod quidem faceret, renuntiando juri, quod ad hæreditatem, vel legatum habet Ecclesia. *Arg. c. 2. h. t. in 6.* Negant tamen talem repudiationem prohiberi. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 54. Saneb. de Matr. l. 6. D. 4. n. 11. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 24. n. 65.* ubi nostram sententiam valde probabilem dicit. In alienatione prohibita, etiam comprehenditur translatio, & permutatio rerum unius Ecclesie particularis in aliam. *c. 43. 16. q. 2. c. 1. h. t.*

& ibid. *Alag. & alij.* Si verò ministris proprijs satis sit provium, & altera Ecclesie indigeat, potest Prælati jurisdictionem, saltem Episcopalem, habens, de consensu Capituli. *Arg. c. 3. de His, quæ sunt à Prælat. & patroni, si patronata sit, hanc translationem de una ad aliam Ecclesiam facere: nam particulares Ecclesie debent sibi invicem subvenire, tamquam ejusdem corporis, scilicet Ecclesie universalis, membra.*

117 Res Ecclesiasticæ in triplici sunt differentia. 1. sunt quedam, quæ possunt sine aliqua solemnitate alienari. 2. sunt alia, quæ nec solemnitate adhibita alienari possunt. 3. alia denique, quæ possunt alienari, sed adhibita juris solemnitate. Res, quæ respectu Ecclesie inutiles sunt ex aliqua circumstantia, etiam si immobiliæ sint, cum nullum, vel exiguum commodum Ecclesie afferant, possunt sine solemnitate vendi à Prælato, ut ex illarum pretio alia utiles emi possint. *c. 52. §. Item domus, 12. q. 2. c. 7. c. 8. §. Possessiones, h. t.* & ideo servi fugitivi possunt ab Ecclesia alienari, vel vendi. *c. 4. de Res. permutat. & alia hujusmodi res, quæ Ecclesie damnum afferunt.* Possunt etiam alienari res mobiles non pretiosæ, & quæ servando servari nequeant, quæ scilicet usui ipso consumuntur, vel brevi tempore veterascunt, ut frumentum, vinum, oleum, fructus, pecudæ, pleræque vestes, &c. *Barb. in c. 8. de His, quæ sunt à Prælat. n. 4. & alij. Arg. l. 22. l. 24. C. de Administr. Tutor.* Bona etiam immobilia ab antiquo dari solita in feudum, vel emphyteusim, si in Ecclesiam revertantur, cum jam facta sint alienabilia, possunt sine solemnitate alienari, si sit in Ecclesie utilitatem: ac proinde possunt in feudum, vel emphyteusim dari. *c. fin. de Feudis.* Res modicæ, & exigui valoris, etiam immobiles, si utiles Ecclesie non sint, & aliqua adlit necessitas, possunt sine solemnitate alienari, etiam post Trident. quippe non est per ipsum derogatum Textum in *c. 53. 12. q. 2. & c. 3. de Donat. Barb. de Pot. Episc. alleg. 95. n. 50. Mascard. de Probat. conc. 277. n. 12. Redoan. Gratian. & alij contra Gonz. in c. 8. h. t. n. 3. & alios.* Pecunia, quam ex redditibus, vel fructibus venditis percipit Ecclesia, potest liberè, & absque solemnitate expendi à Prælato, quia ex sua natura in quotidianos usus convertenda est, quippe quæ otiosa nullum fructum parit. *Barb. de Pot. Episc. alleg. 95. n. 49. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 465.* non tamen potest sine solemnitate alienari pecunia, quæ in The-

sauro Ecclesie ad futuras necessitates conservatur, vel quae ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosa redacta est, ad aliam rem immobilem, vel mobilem pretiosam emendam, vel à testatore ad hunc finem relicta est. Nam cum ex destinatione testatoris, vel Prælati in locum rei emendæ subrogetur, ejus naturam induit. *Vallens. in Pras. §. 2. n. 1. & declaratum referunt. Tambur. & alij: quin, & aliqui cum Barbos. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 41.* hanc inalienabilitatem extendunt ad casum, in quo pecunia sit in banchij campforum exposita negotiationi; quia tunc fructum dare censetur. Si Ecclesie non possint bona immobilia retinere, ut Domus Professæ N. Societatis, Capuccini, & Minores seu Franciscani de Obliviantia possint ea, etiam si pretiosa sint, sine solemnitatibus vendere, & pretium in proprios usus convertere. *Barbos. de Pot. Episc. alleg. 95. n. 59. Et L. 3. fur. Eccles. cap. 30. n. 21.* Denique necessitate urgente possunt res, & bona, quaecumque alienari: Nam necessitas caret Lege. *c. 4. de Consuet. & facit licitum quod alias illicitum esset. c. 4. de Reg. jur. sed debet postea alienatio cum debitis solemnitatibus ratificari. Barb. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 58.* Et quidem in casibus, in quibus res Ecclesie valent alienari, non obstat earum alienationi juramentum prælitum à Prælato in communi de rebus Ecclesie non alienandis: quippe tale juramentum juxta Jus Commune interpretatur. *c. 21. c. 35. de fur. jur. ac proinde de alienatione prohibita, non verò de permissa intelligitur: quamvis hoc juramentum ad res alienabiles extendant. Navar. Azor. & Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 8.* sed horum doctrina potest intelligi de casu, quo jurans intendat juramentum ad tales res extendi: quia tunc obligat, cum possit sine peccato servari. *c. 28. de fur. jur.*

118 Non tamen potest, etiam solemnitatibus juris adhibitis alienari ipsa Ecclesia, ita ut transferatur in Hæreticum, vel Judæum: imò nec in usus profanos transferri valet. Nec Prælatum potest per se, vel per interpositam personam rem Ecclesie emere, ne in factio proprio auctoritatem præter. Nec alienari potest res, quæ Ecclesie donatur sub conditione, quod non alienetur, juxta *Glos. in Auth. Hoc jus C. de sacros. Eccl. V. Perpetuo.* Sed dicendum est, quod Testator non potest hanc conditionem ponere, & hæc conditio, ut contraria juri, cui Testator

derogare nequit, insuper habetur. *L. 55. ff. de Leg. 1. c. 17. de Testam. Barb. L. 3. fur. Eccl. cap. 30. n. 15.* Nec potest alienari, etiam cum solemnitate, res à Principibus data Ecclesie, ut dicitur in *L. 2. tit. 14. p. 1. sed Greg. Lop. dubitat, & merito; an hæc alienatio de Jure Canonico esset sustinenda, cum hæc prohibitio sit tantum Civilis, quæ non obligat in Foro Canonico. c. 10. de Constitut.*

119 Sine debitis solemnitatibus, de quibus postea, alienari prohibentur res immobiles, ut oppida, castra, prædia, fundi, & similia bona corporalia radicem habentia. *L. 14. & subjuncta Auth. Hoc jus. C. de sacros. Eccl. c. 19. c. 34. c. 51. & præcipue c. sine exceptione, §. 12. q. 2.* quod est caput fundamentale hujus materiae. *c. 5. b. t. c. 1. & 2. eod. in 6. Clem. 1. eod. Extrav. Ambitiosa eod. inter com. L. 1. tit. 14. p. 1.* Item, alienari prohibentur res mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt, ut vasa aurea, argentea, ornamenta, & suppellex magnæ æstimationis: nam hujusmodi res immobilibus, quoad præsentem prohibitionem, æquiparantur. *L. 22. C. de Administr. Tutor. & ibid. Gobos. Extr. Ambitiosa b. t. int. com.* item reliquæ insignis sanctorum, ut corpus integrum, vel caput, vel brachium, manus, pes, vel quid hujusmodi. Item, Bibliotheca, saltem copiosa, quin, & aliquando singuli libri, si afferrent Ecclesie, vel Monasterio specialem utilitatem, aut splendorem: greges ovium vel bonum armenta. *Arg. §. Sed si greges, 38. Instit. de Rer. divis. Barb. l. 3. fur. Eccles. cap. 30. n. 44.* Mancipia rustica adscripta fundo ex colendo. *L. 14. C. de Sacros. Eccl. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 165. n. 3.* Jumenta deputata ad fundum colendum. *L. fin. C. Quand. Decret. opus non est.* Arbores necessitatis, vel valde utiles prædio, servi Ecclesiarum. *c. 4. b. t. si tamen benemeriti de Ecclesia erant, poterant manumitti. c. 52. 12. q. 2.* vel si Prælatum tantumdem Ecclesie conferebat, quantum valebat servus, cum poterat manumittere. *c. 3. c. 4. b. t. vel si erant fugitivi poterant, ut Ecclesie inutiles permutari, vel vendi. c. 4. de Rer. permut. Item actiones rerum immobilium, & mobilium pretiosarum: nam ut accessorie principalibus æquiparantur. *Arg. c. 42. de Reg. jur. in 6.* Item census, seu redditus, & pensiones annuæ, & longi temporis usufructus. *Cl. 1. V. Cumque annuat. de V. S.* At verò pensiones, & redditus celsi, cum fructibus à solo separatis æqui-*

pa-

parentur, ut mobiles possunt alienari: Si partim sint celsi, partim non; prorata temporis de illis judicatur, nisi obset confuetudo. De quibus *Barbos. in c. 5. b. t. Et de Possess. Episcop. alleg. 95. Lacr. lib. 4. ex n. 1363.*

120 Ut alienatio legitime facta sit, justa causa ad alienandum requiritur, etiam quando solemnitas adhibenda est: nam justa causa deficiente, etiam si solemnitas adhibeatur, nullius momenti est. *c. 1. b. t. in 6. Clem. 1. eod. Extr. Ambitiosa, b. t. int. com. Covar. lib. 2. Var. cap. 17. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 1. Gonz. in c. 6. b. t. n. 2. contra aliquos.* Si quidem Prælati, non Domini, sed tantum administratores bonorum Ecclesie sunt. *L. 4. tit. 14. p. 1.* si tamen justa causa existimetur bona fide, licet in re non sit justa, sat est, ut valeat alienatio. *Covar. & Molin. contra alios, juxta igitur causæ res Ecclesiasticas alienandi ad tria capita reducuntur, ut ex Textibus, & DD. deducitur, licet sex referantur in L. 1. tit. 14. p. 1.* Et ita quidem, ut quælibet ex tribus causis disjunctivè ad alienationem sufficiat. *c. 1. b. t. in 6. ibi: Evidens necessitas, vel utilitas.* 1. ergo causa est necessitas urgens Ecclesie. *c. 1. b. t. in 6. Cl. 1. eod. L. 1. tit. 14. p. 1.* V. gr. si adfit necessitas reparandi Ecclesiam, quæ ruinam minatur, vel emendi Sacram suppellectilem ad cultus decemiam: Et ratio est: quia necessitas Legem non habet. *c. 4. de Reg. jur. c. 4. de Consuet.* non tamen sufficit Rectoris necessitas, nisi fortè Ecclesia ipsi congruam sustentationem non daret: Hæc necessitas debet esse absoluta, & aliunde irreparabilis: debetque probari, & debet incipi alienatio à rebus minoris momenti, & non consecratis. *L. 2. tit. 14. p. 1.* Ad Vasa Sacra, & Calices solum in urgentissima necessitate perveniendum est. *Covar. lib. 2. Var. cap. 16. & alij.* Quando verò adest necessitas juris: v. gr. præceptum Judicis de certa re alienanda, vel tradenda, vel dispositio testatoris de re legata vendenda: vel si Ecclesia sit incapax bona retinendi, ut Nostra Domus Professæ, Capuccini, &c. non requiritur Pontificis consensus: imò, nec in necessitate facti, si periculum sit in mora, ita ut non patitur, ad Pontificem recurri: secus, si hoc periculum desit. 2. Causa est Ecclesie evidens utilitas. *c. 52. 12. q. 2. ibi: Quod non sit dubium profuturum Ecclesie. c. 1. b. t. in 6. Cl. 1. eod. L. 1. tit. 14. p. 1.* Nec sufficit, quod alienatio utilis reputetur Ecclesie, & quod non sit damnosa, sed

Tom. 1.

necessè absolute est, quod causa Ecclesie melior fiat, saltem quoad modum, & circumstantias, ex eo quod res immobilis distrahatur, quam si retineretur. *c. 7. b. t. ibi: Ad majorem Ecclesie utilitatem. c. 52. 12. q. 2.* Huc reducitur, quando res est inutilis, ita ut ejus cultura molesta sit Ecclesie fortè ob distantiam, vel quando plus utilitatis afferret ejus distractio, quam retentio. *c. 20. c. 52. 12. q. 2. Imò, & tunc, etiam sine solemnitate poterunt tales res alienari, ut passim videmus, Calices, aliqua Vasa argentea, & ornamenta Sacra, quando vetera sunt, pro alijs novioribus, sine solemnitate, commutari. 3. Causa est pietas: v. gr. pro redemptione Captivorum, pro qua etiam Vasa Sacra possunt oppignorari, & distrahi. *c. 15. c. 16. c. 70. 12. q. 2. §. Sacra res, 8. Inst. de Rerum divis. L. 1. tit. 14. p. 1.* Huc reducitur bellum, quod contra Infideles, & Hæreticos sit, pro quo Principibus potest indulgeri aliqua pars reddituum, vel bonorum Ecclesiasticorum, ut in Nostra Hispania sunt Nostris Regibus varia subsidia à Pontifice concessa. Hanc alienatio fit pro pauperum necessitatibus sublevandis. *c. 70. 12. q. 2.* pro templis ædificandis, & pro sepulchris fidelium. *L. 1. tit. 14. p. 1.**

121 Alienationem illegitimè factam, potest, & debet revocare, non solum Superior alienantis, sed, & ipse alienans. *c. 6. b. t. non obstante confirmatione Superioris. Arg. c. 1. de Confirm. util.* vel instrumento publico de alienatione facto: imò nec juramento de non revocanda alienatione: quod quidem vim non habet, cum illicitum, & contra utilitatem Ecclesie sit. *c. 2. de fur. iur. & cum agatur de favore Ecclesie, & de vi ando animæ periculo, auditur allegans propriam turpitudinem, & permittitur contra proprium factum venire, contra c. 8. de Donation. Et L. 25. ff. de Adoption. Non solum alienans, & ejus superior alienationem revocare possunt, sed, & ejus successor. *c. 4. c. 9. b. t. Capitulum, etiam sede plena: & his deficientibus, quilibet de Clero. c. 6. b. t. & in eorum defectu quilibet de populo, etiam Laicus, præsertim Parochiani, & Patroni, quia eorum interest, ne Ecclesia patronata pauperior fiat, ipsique eam defendere debent. Glos. in c. 6. b. t. Duplex est actio ad revocandam alienationem illegitimam. Alia personalis adversus alienantem, ut damnnum ex proprijs bonis restarcat. *c. 3. de Pignor. Alia realis adversus retinentem rem alien-***

Nnn natam

nam ita ut in electione Ecclesie sit, unam, vel alteram intentare. Et licet una intentata, possit ea omnia alteram intentare, non vero si jam contra unum obtinuit, cum bona fides non patitur, ut idem bis exigatur. *L. 57. ff. de Reg. jur.* Potest tamen contra alterum ad poenam, & satisfactionem agere. Ille in quem res Ecclesie translata iuit, si possessor sit bonae fidei restituere tenetur rem cum fructibus extantibus, & consumptis post litrem contestatam. *L. 22. C. de Rei vind.* sed ipse contra Praelatum alienantem potest ad recuperandum pretium agere, vel si ille non habeat, ab Ecclesia illud repetere potest, saltem quatenus est facta locupletior, cum aequitas non patitur, quod quis cum alterius iactura locupletetur. *L. 14. ff. de Condit. indeb.* Mala fidei possessor praeter rem, quam restituere tenetur Ecclesie, amittit pretium in poenam male fidei, & adquiriturque Ecclesie ex Leonina constitutione. *L. 14. §. Sanè, C. de Sacros. Eccles. c. 5. h. t.* Et quidem post, non ante sententiam Iudicis, nisi contra male alienantem de evizione sibi prospexisset; nam tunc potest ab eo pretium repetere. *L. 27. C. de Eviction.* Teneturque Ecclesie omnes fructus etiam ante litem contestatam perceptos restituere. *L. 17. C. de Rei vind.* perditque meliorationes in re factas. *c. 20. 12. q. 2. L. 14. §. Sanè, 4. C. de Sacros. Eccles.* Si Ecclesia agat remedio possessorio de recuperanda, quod erit facilius, & consultius ad rem alienatam recuperandam, sufficit probare Ecclesiam fuisse in possessione rei, & alienationem contra Sacros Canones esse factam: cum ex eo ille in quem res Ecclesie translata est spoliator intelligatur; *arg. c. 4. h. t.* Si tamen intendat petitorium, seu rei vindicationem: tunc enim debet probare dominium. *L. 23. ff. de Rei vind.* si alienatio nulla sit, non indiget Ecclesia laesa restitutione, quia habet remedium nullitatis, si vero valeat, & laesa sit Ecclesia restitutionem in integrum petere intra quadriennium; sed non ultra, nisi laesio sit valde enormis. *c. 1. de in Integr. restit. in 6.* Esti reus Laicus sit, potest agere Ecclesia, vel coram Iudice Laico, vel coram Ecclesiastico, quia talis deceptio, quasi species sacrilegij est, ac proinde est mixtorij; & cum restitutio omnia in pristinum statum reducat, neutra pars debet esse, nec in damno, nec in lucro, ac proinde, qui restituit, potest repetere meliorationes in re alienata factas, vel sua industria, vel suis impensis:

imò petere potest mercedem sui laboris, & industriae. *c. 11. h. t. c. 1. de in Integr. restit. L. 24. §. 4. ff. de Minor. Qui rem Ecclesie bona fide emit periculum in tali contractu intervenisse iustam causam, & solemnitates juris, cum 40. an. praeribit. *c. 4. c. 6. c. 8. c. 9. de Praescript. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 6. n. 25.* Et licet constitutio Pauli IV. alienationibus male factis omnes vires adimat, ita ut nec jus aliquod tribuant; nec praeribendi etiam causam parent: haec constitutio à Pio IV. Constitutione Provida. edita 3. Idus Sept. 1560. est redacta ad terminos Juris Communis.*

122 Ad alienationem rerum immobilium, & mobilium pretiosarum requiritur certa à jure solemnitas praeripta. Et cum haec pro forma ad validam alienationem requiratur. *C. Sine exceptione; 52. 12. q. 2. c. 1. h. t. in 6.* Hinc est, quod ea deficiente, etiam si justa causa addit, alienatio erit nulla. *L. 2. tit. 14. p. 1. arg. c. 42. de Election.* Et ita tenent *Sarm. de Redit. 1. p. cap. 2. Gonz. in c. 6. h. t. n. 2.* Et satis clare deducitur ex *c. 52. 12. q. 2. ibi: Sine exceptione decernimus, nequis Episcopus de rebus Ecclesie sua quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid bonum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie. Episcopus rebus Ecclesie tamquam commendatis, non tamquam proprijs utatur. Irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiastica erit absque convenientia, & subscriptione Clericorum.* 1. ergo solemnitas ad licitam, perpetuam, & voluntariam alienationem rei Ecclesiasticam requisita est praecedens tractatus, & quidem unus sufficit, nisi res sit magni momenti, vel sit speciale statutum plures tractatus requirens. *Covar. l. 2. Var. cap. 17. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 6.* Hic tractatus fit cum Capitulo collegialiter congregato, omnibus, qui praesentes, vel non procul absentes sunt, vocatis, nisi res sit exigua, vel periculum in mora sit. Et in eo deliberatur, an addit justa causa alienationis faciendae. *c. 52. 12. q. 2. c. 1. h. t. in 6.* si Ecclesia Capitulum non habeat, tunc ejus Rector cum Episcopi consensu, etiam rem immobilem, potest alienare. 2. Post tractatum requiritur consensus expressus majoris, & sanioris partis Capituli, seu Conventus, de cuius rei alienatione agitur. *c. 1. de his, qua sunt à Praelat. & quidem Capitulum debet esse*

legitimè congregatum, nec sufficit consensus Capitularium, seorsim praestitus. Quae habentur in *c. 52. 12. q. 2. c. 1. c. 3. c. 8. de His, qua sunt à Praelat.* quod si Episcopus propter bellum, vel alia ex causa non habeat Capitulum, à Clericis exquirat consentum. Etiam ad alienanda bona pertinentia ad Mensam Episcopalem, separatam à Mensa Capituli, requiritur Capituli consensus, & licet regularitè solus consensus Capitularium requiratur, aliquando ex privilegio, vel consuetudine, vel statuto erit necessarius aliorum Clericorum consensus, & insuper, & praecipue debet accedere Praelati consensus, & vacante Cathedrali à Papa assignantur Curator, vel Defensor. Et si inferior vacet, assignatur ab Episcopo. Similiter requiritur Capituli consensus, quando Episcopus alienat rem Ecclesie inferioris Cathedrali. *Gl. 2. h. t. Covarr. lib. 2. Var. cap. 17. Garc. de Benef. p. 12. cap. 3. n. 11. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 468. n. 14. & alij, excepto casu Text. in c. 7. de His, qua sunt à Praelat.* ubi dicitur, quod tenet donatio, quam de solius Dioecelani consensu facit Laicus Ecclesie de decimis, quas ab alia Ecclesia habet in feudum ante Concilium Lateranense. Si res Ecclesie Collegiata, vel Conventualis alienanda est, ab ejus Praelato debet fieri cum consensu Episcopi, cui talis Ecclesia est subiecta, & Capituli Collegiatae, vel Conventualis, non vero requiritur Capituli Cathedralis consensus, cum hoc nullo jure statuatur. Si Ecclesia inferior alienare intendens Capitulo careat, sufficit si Rector autoritatem Episcopi adjungat.

123 3. Requiritur consensus Superioris habentis Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem. *c. 52. 12. q. 2.* Et quidem expresse, quin & in scriptis praeritari oportet, saltem ad probationem. *c. 41. 12. q. 2.* Et hic consensus autoritas dicitur. *Glos. in c. 1. h. t. in 6. V. Tractatus.* Episcopus ratione suae jurisdictionis praestat hanc autoritatem, & quidem solus ille, in cuius Dioecesi sita est Ecclesia, vel Monasterium, de cuius alienatione agitur: quamvis res alienanda alibi sit: illius namque est curare, ne Ecclesia fiat praedjudicium in alienatione. *Barbos. l. 3. de Jur. Eccles. cap. 3. n. 9. quem alij sequuntur, contra Baldum, & Gomez. 2. Var. cap. 14. n. 17. Molin. tr. 2. D. 224. n. 19. & alios varie sentientes.* Sedevacante, Capitulum praestat autoritatem, cum sit actus jurisdictionis, in quam quidem Capitulum succedit: imò & Capituli Vi-

carium autoritatem praestare potest: scilicet Vicarius Episcopi, si non habeat speciale ad hoc mandatum. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 106.* Alij etiam Praelati, qui pleno jure habent Ecclesiam sibi subiectam, & exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, etiam alii non sint exempti, autoritatem praestare possunt. *Glos. in Cl. 1. b. t. V. Proprij.* Praelatus Regularis, seu Prior, qui Conventum non habet, aut Capitulum, debet ad alienandum exquirere Superioris: v. g. Abbatis, consentum, & Capituli illius: v. gr. Monasterij, cui ille Prioratus est incorporatus. *Cl. 1. b. t. Suar. de Relig. tom. 4. l. 2. cap. 27. n. 15.* Licet ex honestate exquiratur ad alienationem consensus Patroni, non tamen ad valorem actus; *arg. c. 6. 10. q. 1. nisi in fundatione haec sit adjecta conditio: vel si res sit in feudum conceita Ecclesie, non absolute donata; arg. c. 7. de For. compet. 4.* requiritur subscriptio Capituli, quando res Ecclesie alienatur per donationem, venditionem, vel permutationem: non vero quando alijs modis alienatur. Et haec subscriptio deficiente est irrita alienatio, cum non tantum ad probationem, sed & ad valorem requiratur. *c. 52. 12. q. 2. c. 1. c. 8. de His, qua sunt à Praelat.* Et illi, qui non consentiunt, etiam subscribere debent, possunt tamen petere, quod sua vota exprimantur, ne si taceant, pro contentionibus habeantur; *ex c. 43. de Reg. jur. in 6.* sed hodie ex consuetudine est fere ablata necessitas subscribendi. *Greg. Lop. in L. 2. tit. 14. p. 1. V. Con otorgamiento, ubi alios citat.*

124 5. Praeter, & ultra praedictas solemnitates, consentum R. Pontificis, ut efficacius consuleretur indemitati Ecclesiarum, tamquam requisitum ad alienationis valorem, addiderunt *Greg. X. in c. 2. h. t. in 6. & Paulus II. in celebri Extrav. Ambitiosa. h. t. inter commun. Tomb. de Jur. Abbat. t. 3. D. 13. q. 9. n. 1. Pagn. in c. 5. h. t. n. 12. & alij contra Rebus, de Alien. ver. Eccles. n. 2.* Sed cum Pontifex sit supra Jus Canonicum, potest in omnibus solemnitatibus dispensare: ac proinde accedente ejus consensu sustinetur alienatio, etiam deficientibus tractatu, consensu Superioris immediati, Capituli, ac ejus subscriptione. *Quarant. Sum. Buller. V. Alienatis, n. 7. Tamb. de Jur. Abbat. tit. 3. D. 13. q. 4. n. 9. & alij com.* Et hinc à fortiori inferitur, Pontificem in alienatione rerum Ecclesiasticarum non teneri, solemnitates juris observare. Et licet in *c. 20. 12. q. 2.* Videatur decisum contrarium, Nnn 2 ibi

ibi nomine Papæ solum Episcopus intelligitur. Adeo tamen etiam præter Pontificis consensum, iusta causa requiritur, ut ea deficiente, nulla, & irrita sit alienatio: siquidem in præjudicium Ecclesiarum, nihil agere præsumitur Pontifex, ac proinde iusta causa deficiente, non censetur consentire in alienationem. Alienationes Regularium sine licentia expressa Congregationis Concilij in scriptis habita; non sustinetur, & si quæ Religiones ad hoc privilegium habebant, hæc sunt derogata per S. Congreg. Conc. iussu Urban. VIII. 7. Sept. ann. 1624. *Tamb. de Jur. Abb. t. 3. D. 13. q. 6. n. 8.* Nostra verò Societas potest alienare res Ecclesiasticas, & pertinentes ad ipsam Religionem cum licentia Præpositi Generalis, nulla alia petita licentia à Sede Apostolica, vel loci Ordinario ex Privilegio Greg. XIII. *Vallens. in Præf. §. 2. n. 5.* & idem ferè accidit jam in omnibus Religionibus.

125 In *Extrav. Ambitiose, b. t. inter comm.* prohibetur omnis alienatio, per quam non solum dominium directum, sed & utile tantum, usufructus, aut jus in re transfertur: exceptis locatione infra triennium, in feudatione, vel emphyteusi in casibus à jure permisis; & idem est de bonis in emphyteusim, vel feudum dari solitis ab antiquo, & cum evidenti Ecclesiæ utilitate; & alienatione fructuum, qui servando servari nequeunt. Sed cum hæc Constitutio non ubique sit recepta; hoc attendendum est, & ubi recepta sit, non poterunt res Ecclesiæ locari ultra triennium: ubi verò non sit recepta, poterunt locari usque ad novennium, nam Jure Communi solum prohibetur locatio per longum tempus, id est, decennium. *c. 9. b. t. c. 2. de Locat. Gonz. in c. 9. b. t. n. fin.* Si Ecclesiæ aliquid legitur sub ea conditione, ut quoties illa velit, possit tale legatum alienare, & in usus proprios convertere, cum hæc alienatio procedere censetur ex potestate testatoris, cui licet suæ rei modum, & Legem præscribere, *L. 21. C. Mandat.* probabiliter non sunt necessariae solemnitates ad illius alienationem, licet alij aliter sentiant. Si prædictæ solemnitates desint, licet iusta causa alienandi ad sit, est irrita in foro externo alienatio. *c. 52. 12. q. 2. c. 6. b. t. c. 1. eod. in 6. Cl. 1. & Extr. Ambitiose, eod. inter comm. Suar. t. 4. de Rel. L. 2. c. 77. n. 20. & 21. Covarr. l. 2. Var. cap. 17. n. 2. Gonz. in c. b. t. n. 2.* nec indiget rescissione, quoad jus, sed solum quoad factum, quia deficit

forma; *arg. L. 5. C. de Legib. c. 64. de Reg. jur. in 6.* Nam licet in particulari non detur damnnum, in communi semper est periculum, sicut Matrimonium Clandestinum semper est irritum ex defectu solemnitatis, seu formæ, quia semper est periculum in communi, quamvis in aliquo casu particulari cessent incommoda quæ timeantur. Irritum insuper esse in foro interno, tenet *Gibal. tom. 2. de Negot. lib. 4. cap. 8. art. 3. n. 6.* Sed cum talis alienatio habeat quiddam de Jure Naturali ad ejus valorem requiritur, & aliudè damno Ecclesiarum sufficienter caveatur per irritationem in foro externo, validam esse, tenendum est cum *Navarr. Laym. L. 1. tr. 4. cap. 16. n. 9. & alij.* Alienatio ex solemnitatis, seu formæ defectu invalida, solemnitatibus supervenientibus convalescit. *c. 3. de His, quæ fiunt à Prælat.* Et quidem à tempore celebrati contractus: quippe ad ipsum fit retroactio, siquidem rati-habitio mandato æquiparatur. *c. 10. de Reg. in 6.* & sic expressè habetur in *L. 5. tit. 14. p. 1. ibi: Pero si el Obispo despues lo consentiese, tanto vale, como si de comenzamiento lo oviesse otorgado.* In dubio, an in alienatione intervenierunt, vel non solemnitates, regulariter præsumitur intervenisse, præsertim interveniente Judicis decreto, & post diuturnum tempus.

126 Alienans rem Ecclesiæ contra Sacros Canones, & is in quem res translata fuit: imò & qui subscriperunt alienationi, excommunicationem ipsafacto incur-runt. *c. 13. §. Quisquis, 12. q. 2. c. 6. b. t.* Nisi intra tempus à superiori præfixum alienationem resciderint. Quod si Prælati, vel Rector Ecclesiæ sit contumax in revocanda alienatione, debet deponi à Prælatura, vel removeri ab officio, & administratione. *c. 18. junct. Gloss. in casu, c. 19. V. Quod si, c. 35. & ibid. Gloss. in casu, 12. q. 2.* Si Prælati Regularis, vel administrationi præpositus male alienet, jura Monasterij, redditus, & possessiones alicui concessit ad vitam, & longum tempus ipsafacto suspenditur ab officio. *Cl. 1. b. t.* Hodie post *Extr. Ambitiose, b. t. inter comm.* præterquamquod: alienationes sunt nulla ipso jure, alienans, qui Episcopo, & Abbate sit inferior, & etiam res alienatas accipiens, excommunicationem lata sententia incurrit Pontifici; ex *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 11.* reservatam. Episcopi, & Abbates sunt ipso jure interdictio ingressu suæ Ecclesiæ, & si lex mensibus in interdictio perseverent, ab administratione, & regimine Ecclesia-

rum

rum ipso facto suspenduntur. Alij Prælati inferiores, Beneficiati, & administratores ultra excommunicationem, ipso facto privantur beneficijs, quorum res alienant, quæ etiam absque alia declaratione vacare censentur. Sacra Congreg. Concil. iussu Urbani VIII. confirmavit has omnes pœnas, extenditque ad Regulares cum derogatione privilegiorum ipsorum. Si alienent Religiosi subditi, vel alij non habentes administrationem, non incurrit Extr. pœnas cum text. loquatur de Prælati, Beneficiatis, & habentibus administrationem: Hanc tamen constitutionem, fortè excepta Italia, non esse usu receptam, præcipue quoad pœnas, tenent *Navarr. Suar. de Cons. D. 23. sess. 6. n. 3. & alij.* Postea fuit prolata excommunicatio non solum in alienantes, sed & in consentientes alienationi absolutione Pontifici reservata ex Constitut. S. Pij V. *Urban. VIII. Greg. XIII. & Sixt. V. Gonz. in c. 6. b. t. n. fin.* Deinde in *L. 11. tit. 14. p. 1.* etiam referuntur pœnæ contra male alienantes statuta. Ab his pœnis excusat. 1. consuetudo locorum, si ibi tales pœnæ non sint in usu. 2. ignorantia juris, vel facti, dum non sit crassa, aut supina. *c. 2. de Constit. in 6.* & juxta aliquos, etiam ignorantia pœnarum, quamvis conjuncta cum prohibitionis scientia: quia censentur medicinales, sed hoc alij negant, 3. quiddam à peccato gravi excusat. 4. imperfectio actus, si aliquis attenter alienationem, & ante realem bonorum traditionem eam revocet penitentia ductus. *c. 6. b. t.* quia delictum in materia odiosa debet intellegi consummatum; *arg. c. 7. de Election. in 6.* retractatio statim secuta alienationis completè jam factæ, & celeris restitutio. *c. 6. b. t.*

TIT. XIV.

De Precarijs.

127 **D**E Contractibus in communi jam aliquantulum pro methodi brevitate egimus in Titulo de Pactis: nunc de eis etiam in specie agendum est, juxta Titulorum ordinem: ac proinde in primis agere occurrit de *precaria*, seu *precarijs*, & de *precario*. Uterque contractus à *precibus*, quibus impetratur, nomen accipit, & licet aliqui distinguant precariam in singulari, & precarias in plurali, ut Hostiensis, & alij: probabilius non distinguuntur. Hic ergo precariam

contractus à Jure Canonico fuit inventus, Jure enim Civili incognitus penitus fuit. Et præcipue vigit in Ecclesia Gallicanas: sed hodie jam in desertudinem abiit? In aliquibus assimilatur precario, & Emphyteuti, sed in pluribus ab ipsis differt. *Precaria, seu precaria est contractus, quo alicui ad ejus preces res Ecclesiastica immobilis, & frugifera conceditur, & utendum, vel fruendum tempore à contrahentibus præfixo ea conditione, ut si ad longum tempus fiat concessio, debeat singulis quinquennijs renovari contractus, & elapso concessionis tempore Ecclesiæ rem suam cum suis incrementis recuperat. c. 4. 10. q. 2.* pro qua renovatione is, qui precariæ nomine rem tenet aliquid debet solvere, quod *DD.* vocant *laudemium*, & in Ecclesiæ commodum debet verti. *Corvin. Aphor. Jur. Can. lib. 2. cap. 42.*

128 Differunt precariæ à precario, quia istæ ad certum tempus conceduntur, nec pro arbitrio concedentis revocantur, & in ipsis merces, seu pensio intervenire valet, nunquam possessio transferuntur, præstatatur culpa levissima, & quinquennio sunt renovandæ, nec sufficit patientia, vel tacita Domini voluntas. Quæ omnia aliter se habent in precario. *Gonz. in c. 1. b. t. n. 4.* ab Emphyteusi differunt in eo, quod Emphyteusis est inventa propter agrorum culturam, & ex quacumque causa, & non solum ad preces concedi solet, nec tantum ad quinquennium, nec cum onere renovationis, si ad longius tempus concedatur, & semper cum reservatione pensionis Domino præstandæ conceditur. Quæ aliter in precarijs se habent. *Gonz. in c. 1. b. t. num. 4.* Precarium contractus est *realis*, quia traditio perficitur: *nomi-natus*, & utriusque obligans, tam dantem, quam accipientem: dantem, ut relinquat usum rei usque ad tempus præfixum. *c. fin. b. t.* accipientem, ut custodiat diligenter. *c. 72. 12. q. 2.* ut damna resarciat, & ut renovationem singulis quinquennijs petat. Et concedenti datur actio adversus accipientem, & ejus hæredes. Et accipienti, & ejus hæredibus adversus dantem, & ejus successores. Utraque est bonæ fidei, personalis, rei persecutoria, & perpetua. Possunt precariæ concedi Clericis, Monachis, & Laicis. *Gonz. in c. 1. b. t. n. 6.* Et possunt eas concedere Prælati Ecclesiarum, qui earum res administrant, & quidem adhibere debent solemnitates juris, quia licet dominium rei penes Ecclesiam maneat, transfertur tamen usufructus, quod est quædam alie-

nationis species. In renovatione tamen quinquenniali non sunt solemnitates necessariae, quia nihil de novo conceditur, sicut potest feudum renovari sine solemnitatibus. *Gonz. in c. 1. b. t. n. 7.* si concedatur sine solemnitatibus potest, & debet à successore revocari, etiam si contractui poena adjecta sit, quæ ut contractui accessoria cum eo coartuit. *c. 2. b. t. Imò ab ipso Prælo, si adhuc administrat, c. 6. de Rebus Ecclæs. non alien.* si habens precarias, quinquennio elapso, non potest renovationem, suo jure cadit, sicut Vassallus feudum amittit, si à novo Domino, non potest inuestituram. *Gonz. in c. 1. b. t. n. 10.* Nec sufficit patientia Domini, qui permittat eum in possessione manere, ut non cadat à jure suo, nisi ita fecit consuetudo. *c. 1. b. t.*

129 Precarium est quod precibus petentis utendum conceditur, & quidem gratis, quandiu is, qui concessit patitur. *c. fin. b. t. l. 1. ff. de Precario*, quamvis plures cum *Gonz. in c. fin. b. t. n. 3. ex l. 14. ff. de Precar.* dicant precarium non esse contractum: tamen cum ab Ulpiano in *L. 23. ff. de Reg. jur.* inter contractus annumeretur, saltem in latiori acceptione pro contractu est habendus: ac proinde debet constare consensu dantis, & accipientis, non tamen potest in eo merces aliqua intervenire, quia est quadam species donationis, & liberalitatis. *L. 14. ff. de Precario*, differt tamen à donatione in eo, quod hac dominium transfert, & donans nequit amplius rem donatam repetere: qui rem precario concedit, tantum transfert usum rei, & illam ad libitum, & sine ulla causa repetere valet. *L. 1. §. 2. ff. de Precario*, non tamen statim post concessionem, nisi causa urgens addit, ne revocatio præsumatur dolosa. Et potest tunc exceptione doli repelli sic revocans. *Gonz. in c. fin. b. t. n. 8. Covar. & alij.* In precario conceditur res ad usum indeterminatum ratione modi, finis, & temporis, & in hoc præcipue differt à commodato: quod semper ad tempus certum expressè, vel tacite conceditur, & ante illud nequit revocari. *L. 17. §. 3. ff. commodat.* Et licet ad certum tempus precarium aliquando concedatur. *L. 4. §. fin. ff. de Precar.* repeti tamen potest ante illius temporis lapsum, non obstante pacto de non revocando: quippe tale pactum, ut naturæ precarj contrarium irritum prolius est. *L. 12. ff. de Precar.* Hinc in commodato, quod non potest pro arbitrio commodantis revocari præstatur le-

visima culpa. *L. 5. §. 2. ff. Commod.* in precario tantum dolus, & culpa lata præstantur. *L. 8. §. 6. ff. de Precar. Molin. & alij:* nam cum possit ad nutum concedentis revocari, sibi imputare debet, quod negligenter concesserit, vel cum posset, citius non revocavit. Et hoc onere, & non ulteriori diligentia satis gravatus à jure censetur ille, cui precarium concessum est, sed si post litem contestatam, qua concedens ad se rem advocat alter retineat, ne hic sua culpa noccat concedenti, culpam levem cum omni interesse præstare debet concedenti. *L. 8. §. 4. & 6. ff. de Precario*, non solum Dominus in re sua mobili, vel immobili, vel in iuribus potest rem precario concedere. *L. 3. ff. de Precar.* sed etiam possessor rei, & usufructuarius, quia usum rei alteri dare possunt. *L. 11. ff. de Precar.* & etiam, qui jus pignoris in re habet. Sed cum iste nequeat pignore uti, solum potest talem rem suo Domino precario concedere. *L. 6. §. fin. L. 11. ff. de Precar.* Quando verò Dominus rei habet ejus possessionem, nec alteri est obligata, ei precario concedi nequit. *L. 4. §. 3. ff. de Precar.* ibi: *Quia receptum est rei sua precarium non esse.* Infans, vel furiosus, etiam rei suæ, nequeunt precarium concedere. *L. 6. ff. de Precar.*

130 Quicumque acquirere potest, valet precarium accipere: ac proinde precarium accipere possunt servus, & filius familiaris, qui si nomine suo rogant, solum tenentur in quantum est in peculio. Si nomine Domini, vel patris rogant, & hi jusserint, vel ratum habeant, insolidum tenentur. Item pupillus, etiam sine Tutoris autoritate. *L. fin. §. 1. ff. de Precar.* Et Procurator, si rogat pro eo, qui mandavit, vel ratum habuit. *L. 6. §. 1. ff. de Precar.* Qui rem precario accipit, habet, non solum illius usum, sed & possessionem naturalem. *L. 15. §. 4. & fin. ff. de Precar.* Dominus autem civilem retinet. *Barb. in c. fin. b. t. n. 6. Gomez 2. Var. cap. 7. n. 2. & alij.* Ipsum non possidere, nisi quando possessio rogata, & expressè concessa est, juxta *L. 15. §. 4. ff. de Precar.* tenet *Gonz. in c. fin. b. t. n. 4. cum alij;* ex *L. 6. §. 2. ff. de Precar.* sed hic textus potest intelligi de possessione civili. Hinc precarium habenti, si ab alio, quam ab autore precarj turbetur in possessione, competit interdictum *Uti possideti.* *L. 17. ff. de Precar.* vel si à possessione deiciatur interdictum *Unde vi.* Ei qui rem precario concessit, etiam Dominus non sit, & illius he-

heredi. *L. 8. §. 1. ff. b. t.* competit interdictum ex precario ad rem repetendam eo soluto, & fructus perceptos post editum interdictum contra eum, qui precario accipit, si possidet, vel dolo delicti possidere, & contra illius heredem. *L. 8. §. 3. & fin. ff. de Precar.* Item competit actio præscriptis verbis, non quidem ordinaria ex contractu innoimato descendens. *L. 14. ff. b. t. sed extraordinaria, quæ oritur ex bona fide. L. 2. §. 2. l. 19. §. 2. ff. de Precar.* Precarium denique finitur. 1. morte concedentis, si ad ipsius beneplacitum, vel donec ipse voluerit concessum sit, quia morte concedentis ejus voluntas expirat. *c. 5. de Rescript. in 6.* si in concessione addatur: *Donec revocavero.* Si non revocetur, præcisè morte concedentis non expirat. *c. fin. b. t. l. 8. §. 1. ff. eod.* sicut non expirat gratia, nec privilegium cum simili clausula. *c. 5. de Rescript. in 6.* nisi detur actus positivè revocans. 2. morte illius, cui concessum est. *c. fin. b. t. quia est personale, nec transit ad heredes. L. 12. §. 1. ff. de Precar.* nisi concessio fiat Dignitati, potius quam personæ. 3. revocatione concedentis. 4. si concedens rem alteri vendat, & emptor precarium revocet: si ipse non revocet, non finitur precarium, sed perinde habetur, ac si emptor eam rem precario de novo concessisset. *c. fin. b. t. l. 8. §. 1. ff. de Precario.* 5. si debitor solvat debitum creditori, à quo precario habet pignus, quod ipsi in securitatem crediti dedit. *L. 11. ff. de Prec.*

TIT. XV.

De Commodato.

131 Commodatum, ut in præsentibus sumitur, est contractus, quo res alieni ad certum usum, & tempus gratis conceditur ea lege, ut usu finito eadem in specie restitatur. *L. 1. tit. 2. p. 5. ibi: Commodatum, es una manera de prestamo, que hacen los omnes unos à otros, assi como de cavallos, de de otra cosa semejante, de que se debe aprovechar aquel que la recibid fasta tiempo cierto.* Et quidem termino elapso debet commodatarius rem commodatam restituere, etiam si non petatur à commodante, quia dies interpellat pro homine. *L. 12. C. de Contrab. stipul.* dicitur Commodatum, quasi ad commodum utentis datam. *L. 10. tit. 2. p. 5. ibi: Commodatum quere decir, como cosa que es*

data à pro de aquel, que la recibid. Et in hoc à locatione, & alijs contractibus innoimatis differt, in quibus res conceditur pro certa mercede. Cum precario quidem convenit in eo, quod uterque contractus est gratuitus, & neuter transfert dominium. A precario differt in eo, quod commodatum ante tempus præsum, sive expressè, v. gr. ad mensem, vel annum, seu tacite, v. gr. donec liber transcribatur, revocari nequit. Et res commodatur ad certum usum, v. g. liber, ut transcribatur, equus ad iter certum agendum; è contra accidit in precario, nam res ad libitum potest revocari, & conceditur ad usum incertum. Et in hoc etiam differt à pignore, in quo res, non ad usum, sed ad securitatem debiti traditur creditori. Et à deposito, in quo tantum traditur ad custodiam. A mutuo differt, quia in commodato, non transfertur dominium, imò neque possessio, nec civilis, sed naturalis, sed eadem res in specie est restituenda, quin possit consumi. At verò in mutuo cum detur res fungibilis, v. g. triticum, vinum, oleum, pecunia, & alia, quæ usu consumuntur, dominium transfertur, & solum eadem res in genere, non in specie, est restituenda. Qui rem commodat dicitur commodator, vel commodans: qui rem accipit commodatarius nuncupatur. Aliquando commodatum, non solum pro contractu, ut in præsentibus, sed etiam pro re commodata sumitur.

132 Commodati equidem possunt res mobiles, & immobiles, jura, servitutes, & annui redditus. *L. 1. §. 1. ff. b. t.* non tamen res fungibiles, quæ consistunt in pondere, numero, vel mensura, ut vinum, triticum, oleum, vel pecunia; nam in hujusmodi rebus consistit mutuum. *L. 2. §. 3. ff. de Reb. cred. L. 1. tit. 1. p. 5.* potest tamen aliquando commodatum in his rebus fungibilibus consistere, ut in pecunia, si non detur ad usum, & dominium, sed ad pompam, & ostentationem. *L. 3. §. fin. ff. b. t. res Sacra, & Ecclesiastica solum ad usus Sacros, & Ecclesiasticos commodari possunt; arg. e. 7. c. 8. de Rerum permutat.* quod si immobiles, vel mobiles pretiosæ ad decennium, vel ultra commodentur, solemnitas juris ad alienationem præscripta, debet adhiberi. *Azor p. 3. lib. 7. cap. 43. & alij.* Commodare profecto valent, qui libertam rerum administrationem habent. *L. 1. §. 2. l. 1. tit. 2. p. 5.* nequeunt tamen commodare infans, nec furiosus. *L. 2. ff. b. t. pupillus sine Tutoris autoritate. L. 1. §. 2. ff. b. t. Religiosus sine superio-*

ris voluntate. *Arg. c. fin. de Testam. in 6.* Uxor res mariti sine ejus saltem præsumpta voluntate, & si res commodata pereat eam in dorem tenetur compensare. *L. 24. §. 6. ff. Solut. Matrim.* Res potest commodari omnibus, qui possunt obligari, saltem naturaliter. *L. 1. tit. 2. p. 5.* etiam pupillo, & minori, sine Tutoris, aut Curatoris autoritate, quia suam conditionem sic meliorem faciunt. *Princ. Inst. de Author. Tutor.* Et pupillo datur actio commodati, non vero contra ipsum; datur tamen rei vindicatio, sicut contra furtivum. *L. 2. ff. b. t. ratione rei,* quam possidet.

133 Et quidem commodans, 1. non potest rem commodatam ante tempus, & usum finitum revocare, quia commodatarius non debet decipi beneficio, sed juri. *c. un. b. t.* si tamen commodans timeret aliquod damnum æquale, vel majus quamquod pateretur Commodatarius, si ab ipso non est prævisum; cum in dubio magis sibi, quam alteri consulere quis præsumatur, potest illud revocare, sicut in simili casu locator potest conductorem, ante tempus ex ædibus locatis expellere. *L. 3. C. de Locat. & conduct. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 294. Less. de Just. & jur. L. 2. cap. 27. n. 18. & alij contra Navar. Manual. cap. 17. n. 182. & alios.* Si damnum, & necessitatem propriam prævidit: non potest commodatum revocare, cum in gratiam commodatarij præsumatur, voluisse hoc damnum subire. Elapso termino, & tempore præfixo, potest commodator revocare commodatum, & si commodatarius citra suam culpam tali re uti non potuit; *arg. L. 17. §. 3. ff. b. t. Greg. Lop. in l. fin. tit. 2. p. 5. V. Complido.* Commodans tenetur refarcire Commodatario damna secuta ex dolo, vel lata culpa ipsius commodantis, v. gr. si commodavit servum furem, qui commodatario furtum fecit. *L. 18. §. 3. l. 22. ff. b. t. l. 6. tit. 2. p. 5.* etiam tenetur refundere expensas extraordinarias à commodatario factas, ac proinde, si servo commodato infirmitas superveniat in cujus curatione aliquas expensas facit commodatarius eas tenetur commodans ei solvere, si magna quidem sint. Commodatarius tamen tenetur ad expensas ordinarias, v. gr. ad servum, vel equum alendum, & etiam ad modicas expensas pro valetudine servi factas. *L. 18. §. 2. ff. b. t. l. 7. tit. 2. p. 5.* cum ad mensuram commodi, & beneficij major sit adhibenda diligentia, ne beneficij in dantis dam-

num, aut injuriam cedat: Hinc quando in gratiam solius Commodatarij, ut ple- rumque accidit, res commodatur, tene- tur Commodatarius rem exactissima dili- gentia custodire, consequenterque præ- stare, non tantum culpam latam, & levem, sed & levisimam. *c. un. b. t. l. 5. §. 2. ff. cod. l. 2. tit. 2. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. O por descuidamiento. §. Item is, 2. Inst. quibus mod. re contrah. oblig.* ubi dili- gentia exacta debet intelligi exactissimi- ma, ut concordent *L. 1. §. 4. ff. de O. & A. Et L. 18. ff. b. t. & similiter in l. 5. §. 5. ff. b. t.* Ubi dicitur, Commodatarium tene- ri præstare diligentem custodiam, & ex Hotomano notat *Gotbofr. in §. 2. Inst. qui- bus modis.* Et non solum in foro externo, sed etiam in interno hanc culpam præstare tenetur Commodatarius, etiam ante sententiam Judicis, quia ad hanc dili- gentiam à Legibus requisitam implicite le obligavit *Barb. in c. un. b. t. n. 2. & 5.* Si gratia commodatarij, & commodantis commodetur. V. g. si hospitio, vel convi- vium suscipiendus sit communis amborum amicus, tantum culpam levem præstat Com- modatarius. *L. 18. ff. b. t. l. 2. tit. 2. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. Proprias,* si gratia commodantis tantum commodetur, v. g. si quis Advocat gratis ipsum patrocinan- ti, libros commodet, vel si quis sponsæ suæ, vel uxori, quo honestius culta ad se duceretur, commodavit ornamenta, do- lum, & culpam tantum latam. Commodatarius præstabit. *L. 1. §. 10. ff. b. t. l. 2. tit. 2. p. 5. Gonz. in c. un. b. t. n. 8.*

134 Cum res suo Domino pereat, vel deterioretur *L. 9. C. de Pignorat. action.* si res commodata pereat aliquo casu for- tuito, ut incendio, ruina, naufragio, vel hostium, Pyratarum, vel latronum in- cursu, cum sit vis major, quæ à nullo prævideri, vel præcaveri valet, æquitas non patitur, quod à commodatario, vel alijs contrahentibus præstetur. *c. un. b. t. l. 23. ff. de Reg. jur. l. 6. C. de Pignorat. action. l. 2. l. 3. tit. 2. p. 5.* sed in *Text. in c. un. b. t. & l. 3. tit. 2. p. 5.* tres casus excipiuntur, in quibus de casu for- tuito Commodatarius tenetur. 1. si præ- celsit culpa Commodatarij v. gr. si equus commodatus ad iter, fuit ductus in bel- lum, & ibi periit. *L. 5. §. 7. ff. b. t. 2. si Commodatarius, pacto interveniente, in se casum fortuitum suscepit. L. 5. §. 2. ff. b. t. l. 23. ff. de Reg. jur.* quia contractus ex conventionem legem accipiunt, & contra- hentes legem ex sua voluntate contracti- bus imponunt. *L. 23. ff. de Reg. jur.* Qui

casum fortuitum in se suscepit, etiam si in specie non exprimaturs casus particula- res, sed solum generaliter, etiam de in- solito tenetur. *L. 9. §. 2. ff. Locat. l. 78. §. fin. ff. de Contrah. empt.* nam genere polito videntur species enumeratæ poni *L. 79. ff. de legat. 3.* nisi casus sit adeo rarus, insolitus, & inopinatus, ut de eo non credatur contrahentes præsentisse. *Gonz. in c. un. b. t. n. 4.* nec plus probant. *L. 22. c. 2. de Negot. gest. l. 1. C. Depositi.* Ubi mentio fit de pacto speciali: nam ibi pactum generale de casu for- tuito appellatur speciale, prout opponitur pacto magis generali de re commodata restituenda Domino, quo pacto ad casum fortuitum, non tenetur Commodatarius. 3. si Commodatarius fuit in mora culpa- bili, nam mora cuilibet est nociva. *c. 25. de Reg. jur. in 6.* Nisi forte res eodem modo esset apud Dominum peritura, etiam si tempore debito restituta esset. *L. 14. §. 1. ff. Depositi.* Tunc enim ejus inter- itus non potest quidem moræ imputari. Fur tamen, vel raptor tenetur astima- tionem rei apud se peremptæ restituere in pecunia furti, & rapina, licet eodem modo apud Dominum periret. *L. 1. §. 34. ff. de Vi. & vi arm.* si verò mora non fuit culpabilis, quia Commodatarius habuit justam causam differendi ex impedimen- to legitimo, vel ex litigio, quod bona fide intentavit, non tenetur casu fortuito. *L. 40. de Hæredit. petit.* si duobus est com- modata res, quilibet pro parte tenetur, nisi fuerint obligati in solidum. *L. 5. tit. 2. p. 5.* Si res in genere debeatur, v. g. bos ex grege, vel certa pecunie quantitas, etiam nulla mora interveniente, ex casu fortuito debitori perit, quia genus perire non potest. Si Commodatarius rem com- modatam commodanti misit per famu- lum, qui alias fidelis, & diligens crede- batur, vel per eum, cui commodans hoc mandavit, & hi rem amittunt, vel ab illis per vim, vel aliter auferunt res, non tenetur Commodatarius de illo casu; alias tenetur. *L. 4. tit. 2. p. 5.* Si Commodatarius rem commodatam perdat, & solvat astimationem commodanti, si postea commodans illam inveniat, in ejus elec- tione est retinere rem, & restituere pre- tium, vel pretium retinere, & dare rem Commodatario. Si tamen extraneus illam inveniat, eam Commodatarius recuperat, tamquam suam. *L. 8. tit. 2. p. 5.*

135 Commodanti, & ejus hæredibus competit actio commodati directa ad re- pectendam à Commodatario, & ejus hæ-

redibus rem commodatam, finito usu. Et quidem eandem in specie, & cum omni causa, ita ut si res extet, non detur locus compensationi. *L. fin. c. b. t.* Commodatarius tamen potest eam jure pignoris pro expensis in ea factis retinere. *L. fin. tit. 2. p. 5.* Si tamen res commodata perdit, vel deteriorata sit, potest commodans ad astimationem, vel interesse agere. *L. 3. §. 1. ff. b. t.* & tunc datur locus compen- sationi: *Arg. L. 4. C. de Compensat. si plu- res sint hæredes, ille, qui rem habet, eam restituere tenetur.* Si res perdit sit, omnes tenentur pro hæreditarijs partibus restituere, si non Dominus, sed fur, vel prædo rem alienam commodet, habet actionem commodati adversus Commo- datarium, ut ipsi rem commodatam, licet aliena sit, restituat. *L. 15. l. 16. ff. b. t.* Nam bona fides exigit, ut res restituantur eam danti. Sic furi deponenti, res dep- olita, restituitur. *L. 31. §. 1. ff. Depositi.* in foro tamen conscientia; possessor male fidei commodare nequit, cum Jure Naturali Domino rem teneatur restituere. *Azor p. 3. l. 7. cap. 4. q. 2.* Commodatario tamen competit actio commodati con- traria, ut res commodata ei relinquatur ad tempus definitum, & permittatur ea uti ad usum destinatum. Et ad repetendos sumptus extraordinarios in re commoda- ta factos, & damnum, quod passus est ex vitio occulto rei, dolo, vel culpa commodantis. Utraque actio est civilis, perpetua, bonæ fidei, personalis, & rei periculatoria. Deinde si commodatarius usus est re aliter, quam concessum fuit, competit commodanti furti actio. *L. 5. §. 8. ff. b. t.* Si rem deterioravit actio legis Aquiliae. *L. 18. §. 1. b. t.* Si apud tertium possessorem sit res commodata, competit commodanti rei vindicatio adver- sus eum. *L. 9. ff. de Re vindicat.* quod si aliqua ex his actionibus actum sit, cætera tolluntur. *L. 18. §. 1. ff. b. t.*

TIT. XVI.

De Deposito.

136 **D**epositum sic dictum, quasi in alterius manu sit pos- tum; aliquando pro re deposita sumitur. *L. 1. ff. b. t.* sed in præcæti depositum est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur sine mercede, ut integrum restituatur. *L. 1. l. 24. ff. b. t. l. 1. tit. 3. p. 5.* ibi: *Condeffio, à que llaman en latin depo- situm,*

fitum, es quando un ome dà a otro su cosa en guarda, fiansdo en él, e tomò este nome de gēto, que quiere tanto decir, como poner de mano en guarda de otro lo que quiere condesar. Diftert quidem à mutuo, quia in hoc transfertur et dominium: secus in deposito, quippe dominium, & possessio penes deponentem manent. L. 17. §. 1. ff. h. t. l. 2. tit. 3. p. 5. & depositarius nomine deponentis possidet. Si res fungibilis deponatur cum expressa licentia ea utendi, erit mutuum: si hæc licentia depositario in re non fungibili concedatur, commodatum erit. L. 14. l. 16. §. 1. l. 29. ff. h. t. A commodato, & precario differt in eo, quod in his utriusque transfertur, & secus in deposito. A pignore, in eo, quod hoc ad securitatem depositum vel ad custodiam traditur: à locatione, & à contractibus innominatis, in eo, quod in his datur merces, secus in deposito. L. 2. tit. 3. p. 5. Et quidem licet depositum non admittat mercedem, non tamen excludit honorarium, quod cum ex benevolentia veniat, naturam contractus gratuiti non immutat. Arg. L. 1. §. 24. ff. de Vi honor. raptor. L. 6. ff. Mandat. Si pro custodia merces, quæ sit pecunia, accipiatur, erit depositum irregulare admixtum locationem habens. L. 1. §. 8. ff. h. t. Si merces non sit pecunia, in contractum innominatum transit. L. 1. §. 9. ff. h. t. l. 2. tit. 3. p. 5. Si deponatur pecunia numerata non clausa, nec obsignata, censetur mutuum: sique accipiens solum tenetur tantumdem solvere. L. 31. V. Idem juris. ff. Locat. Quod si bona depositarij subhærentur, quia non habeat unde solvat creditoribus, ne deposita extante, deponens omnibus præferatur, quia dominium in re retinet, quod est fortius jure omnium creditorum, etiam uxoris. L. 7. §. 2. ff. h. t. l. fin. tit. 3. p. 5. Idem ex eadem ratione procedit in precario, commodato, & locato: si res deposita perijt, nullum privilegium speciale habet in concursu deponens. Arg. l. 7. §. fin. ff. h. t.

137 Depositum est duplex, & aliud sequstrum aliud depositum in specie dicitur. Sequstrum est, cum res litigiosa à duobus, pluribusve contendētibz apud aliquem tertium deponitur, ut eam custodiat lite pendente, & ea finita eam victori restituit. L. 6. l. 17. ff. h. t. l. 110. ff. de V. S. Depositum in specie est quando res non litigiosa ab uno, vel pluribus: vel litigiosa ab uno solum traditur custodienda. L. 1. §. 44. ff. h. t. Aliud voluntarium est, quod ex mera fiducia contrahitur. L. 1. §. 2. ff. h. t.

Aliud est necessarium, seu miserabile, quando scilicet instante periculo, vel necessitate incendiij, ruina, vel naufragij fit. L. 1. §. 1. & 2. & 3. ff. h. t. Et qui hoc restituit recusatur, majorem committit perfidiam, cum majori commiseratione dignus sit deponens, & ideo in duplum condemnatur, & qui voluntarium restituit recusatur in simplicium. L. 1. §. 1. & 4. ff. h. t. l. 8. tit. 3. p. 5. quæ omnia deponitorum genera sub tribus membris continentur in L. 1. tit. 3. p. 5. Ut ergo depositum constituitur, non sufficit rem commendari, sed est necessarium tradi, cum sit contractus, qui re perficitur. §. 3. Inst. quibus mod. re contrab. oblig. debet utriusque consensus intervenire. Nec erit depositum, si in domo Titij res relinquatur, ipso sciente, & patiente; si tamen rem illius custodiam committas, & ipse taceat, consentire videtur, ac proinde ad depositum tenetur. Arg. l. 9. §. fin. ff. de Jur. dot. Gom. 3. Var. cap. 7. n. 2. Molin. ac Just. & jur. tr. 2. D. 522.

138 Res omnes, quæ sub custodiam cadunt, possunt deponi, & frequentè res mobiles deponuntur, possunt tamen immobiles deponi, ut ex L. 3. §. fin. ff. de Adq. possess. deducitur, & clarius ex L. 2. tit. 2. p. 5. ibi: En guarda, è en condesajo, pueden ser dadas las cosas de qual manera quier que sean. Mas propriamente usan à dar mas en condesajo las cosas muebles, que las otras. Res aliena etiam potest deponi, ac proinde si fur rem fortivam apud aliquem, qui non sit illius rei Dominus, deponat, habet actionem depositi, ut ipsi restituat. L. 7. §. 39. ff. h. t. Quamvis in commodatum veniant accessoria rei commodata, licet non sit expressa. L. 5. §. 13. ff. Commodat. quia commodatum cedit in accipientis commodum, at vero in deposito, si res accessoria non exprimitur, non intelligitur deposita. L. 1. §. 5. ff. h. t. ibi: Qua depositi rebus accedunt non sunt deposita, ut puta si homo vestitus deponatur, vestis enim, non est deposita: nec si equus cum capistro, nam solus equus depositus est: quia cum depositarius non sentiat commodum ex re deposita, non debet onus, circa rem in conventionem non expressam, sustinere. Quando tamen restituitur res deposita, cum omni causa est restituenda. L. 1. §. 24. ff. h. t. Cista, vel arca signata deposita, censentur res incluse depositæ, etiam si depositarius ignoret, quid nam includatur: cum ex contrahentium intentione, magis quam continens, attendatur contentum. L. 1. §. 41. ff.

ff. h. t. Si deponens alleget, aliquas res deesse, si arca resecrata restituitur, dolo depositarij deesse res præsumuntur, & deponens admittitur ad juratam probationem rerum inde amissarum. Arg. L. 9. c. un. de Vi, nisi sigillum adeo fragile esset, ut sine hominis factu potuisset frangi, & depositarius sit homo integræ fidei. Mascard. de Probat. concl. 508. n. 3. Si verò restituitur clausa, & obsignata, cum dolo non præsumatur, nisi probeatur, deponenti incumbit probare, aliquid deesse, & ex dolo depositarij deesse. Gom. Var. 3. cap. 7. n. 2. Deponere sane possunt omnes, qui possunt contrahere, & similiter depositum possunt suscipere omnes, qui possunt contrahere; non verò infans, aut furiosus. L. 5. l. 40. ff. de Reg. jur. possuntque pupillus, & minor, etiam sine autoritate Tutoris, & Curatoris depositum suscipere: sed si apud ipsos pareat, solum tenentur in quantum de dolo convincuntur, vel facti sunt locupletiores. L. 1. §. 15. ff. h. t. Etiam possunt esse depositarij servi, foeminae. L. 26. ff. h. t. Clericus, & Religiosus. c. 1. h. t. l. 3. tit. 3. p. 1.

139 Deponens tenetur depositarium indemnem servare, reparando damna dolo, vel culpa, etiam levissima deponentis, facta: cum depositum unice in ejus cedat utilitatem. Arg. L. 61. §. 5. ff. de Furt. junct. L. 5. §. 2. ff. Commodat. ac impensæ in re depositas factas refundere debet. L. 12. ff. h. t. Depositarius item debet rem custodire, quandiu causa, v. g. absentia, vel lis durat. Arg. L. 5. ff. de Oblig. & Actio. vel si impedimentum superveniat, Judicem adire debet, ut ab hoc onere liberetur. Si re deposita sine expresso, vel tacito deponentis consensu utatur, furtum committit. L. 29. ff. h. t. Deinde rem depositam integram reddere tenetur, ac talem, qualem accipit. Deponens potest quandoque voluerit, depositum revocare, & depositarius statim reddere tenetur. c. 2. h. t. l. 1. §. 22. ff. eod. l. 5. tit. 3. p. 5. etiam ante tempus deposito præsumitur, cum in gratiam deponentis adjectum credatur ex natura contractus. Gom. in c. 2. h. t. n. 7. Less. Molin. & alij, & est restituenda ubi est sine dolo malo depositarij, nisi alibi reddi velit suis impensis deponens. L. 12. ff. h. t. vel aliter conventum sit. L. 5. §. 1. ff. h. t. Non tenetur depositarius restituere rem deponenti, si actus periculum spirituale, vel temporale alicujus, v. g. si fut-

riosus repetat gladium depositum. c. 14. 22. q. 2. l. 6. tit. 3. p. 5. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 27. n. 14. Si fur deponens rem, & Dominus rei simul rem petant, Domino est restituenda, nec furi deponenti cum Domini detrimento, & si Dominus non petat, restituenda est. L. 31. §. 1. ff. h. t. l. 6. tit. 3. p. 5. Nec Dominus rei, apud quem ignorantem fur rem depositum, si postea suam esse comperiat, restituere tenetur. Imò si ignoranter furi restituit, eam conditione indebiti repetere potest. L. 31. in fin. ff. h. t. Si res deposita fisco sit addicta, tunc enim debet restitui fisco. L. 6. tit. 3. p. 5. & ibid. Greg. Lop. & alij. Depositarius insuper debet res depositas custodire eadem fide, & cura, qua res proprias custodire solent ejusdem generis homines: nullatenus verò tenetur diligentiam exactissimam impendere, si in rebus suis diligentissimus sit: alias esset deterioris conditionis, quam alij, qui in suis rebus minus diligentes sunt: quod non debet admitti. c. 2. h. t. l. 32. ff. eod. l. 3. tit. 3. p. 5. Gom. in c. 2. h. t. n. 1. & alij, tenetur ergo de dolo. L. 1. §. 10. & fin. ff. h. t. l. 3. tit. 3. p. 5. & culpa lata, quæ dolo æquiparatur. L. 32. ff. h. t. l. 240. ff. de Verbor. Signific. l. 3. tit. 3. p. 5. Et tunc si rebus proprijs depositarij, salvis manentibus, pareant res depositæ in eodem loco existentis, præsumitur dolo. c. 2. h. t. Gom. ibid. n. 1. & alij. Regulariter tamen de culpa levi, vel levissima non tenetur, quia cum regulariter depositum solius deponentis gratia fiat, & depositarius nullum emolumentum sentiat, non debet ad tam strictam obligationem cogi. L. 5. §. ff. Commodat. Gom. in c. 2. h. t. n. 1. & alij. Deinde: nam ille, qui negligentem amico rem custodiendam tradit, non ei, sed fidei facilitati id imputare debet. §. 3. Inst. Quib. mod. re contrab. oblig. l. 3. tit. 3. p. 5. ibi: Mas si la cosa se pierda por leve culpa de aquel, que la oviesse en guarda, non seria tenuto de la pechar, fueras ende en tres casos. Tenetur ergo ex culpa levi depositarius. 1. Si pro custodia mercedem recipiat. c. 2. h. t. l. 1. §. 8. ff. eod. l. 3. tit. 3. p. 5. nam tunc utriusque gratia celebratur. Gom. in c. 2. h. t. n. 3. Less. de Just. & jur. l. 2. cap. 27. n. 9. 2. Si se deposito recipiendo obrulit. c. 2. h. t. l. 3. tit. 3. p. 5. Gloss. V. De culpa, imò, & ad levissimam se obligare, tenent Abb. & Gom. in c. 2. h. t. n. 5. sed contrarium tenent Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 27.

n. 11. & alij, nisi singularem diligentiam promittit, & sic potest intelligi. L. 1. §. 35. ff. b. t. & ibi. *Garbofr.* abas potius absterrentur homines, quam allicerentur ad hoc charitatis officium. 3. Si ad hoc depositarius se obligavit. *Arg. c. 2. b. t. l. 3. tit. 3. p. 5.* N. m. ex partium conventionem contractus legem accipiunt. L. 1. §. 6. ff. b. t. Ex levisima culpa tenetur. 1. Si ad hoc se obligavit. L. 1. §. 6. ff. b. t. 2. Si ratione officij custodiam habere debet, ut Nauta, Caupo, Tabularius. L. 1. l. 2. ff. Nauta, Caupo, l. 26. tit. 8. p. 5. & ibi. *Greg. Lop. V. Culpa*, sed jam ex consuetudine non tenentur, nisi de custodia specialiter moneantur. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 10. & alij.*

140 Ad casum fortuitum minime tenetur depositarius. c. 2. b. t. l. 1. §. 35. ff. eod. l. 4. tit. 3. p. 5. Nisi 1. ad ipsum se obliget. c. 2. b. t. l. 1. §. 35. ff. eod. & tunc etiam tenetur ad casum insolitum, nisi valde insolitus sit. *Arg. L. 78. §. fin. ff. de Contrab. empt.* 2. tenetur, si quidem fuit in mora culpabili restituendi. L. 12. §. fin. ff. b. t. l. 4. tit. 3. p. 5. quia mora sua cuiuslibet est nociva. c. 25. de Reg. jur. in 6. nisi eodem modo res esset peritura, etiam apud Dominum. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 6. & alij.* 3. si dolus, & culpa precedant. c. 2. b. t. l. 32. ff. eod. l. 4. tit. 3. p. 3. Et quidem, ut ad casum fortuitum tenetur, debet precedere culpa lata, ad quam iuxta naturam contractus tenetur, alias etiam ex levi culpa teneretur contra contractus naturam. Et in l. 4. tit. 3. p. 5. additur, depositarium teneri ad casum fortuitum, quando depositum solum in gratiam depositarii factum fuit. Si Clericus, vel Religiosus sine depositarii, & eorum dolo, vel culpa res parat, si cum consensu Prælati, & Capituli depositum susceperunt, Ecclesia, vel Monasterium tenetur damnum rescire. L. 7. tit. 3. p. 5. ne alias deponens videatur ab Ecclesia deceptus contra c. 5. de Donat. *Gloss. in c. 1. b. t. V. Personæ, Barb. ibid. num. fin. Sanchez. in Decal. l. 6. cap. 14. & alij.* Si vero Clericus, vel Religiosus, sine consensu Capituli, etiam cum consensu Prælati: vel etiam ipse Prælati, sine consensu Capituli susceperunt depositum, ipsi ex dolo tenentur, non vero Ecclesiæ, quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. c. 76. de Reg. jur. in 6. Si vero in Ecclesiæ utilitatem versum est, in id tenetur Ecclesiæ. c. 1. b. t. l. 7. tit. 3. p. 5. *Barb. in c. 1. b. t. num. fin. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 12.*

141 Deponenti, & ejus hæredibus contra depositarium, & ejus hæredes datur actio directa depositi ad recuperandam rem depositam; & quidem eandem in specie, nisi aliter sit conventum. L. 24. l. 25. §. 1. ff. b. t. l. 5. tit. 3. p. 5. vel si perijt, aut est deteriorata dolo, aut lata culpa depositarii: quippe tunc restituit pretium ejus, vel deteriorationis. L. 1. §. 16. ff. b. t. Etiam restitui deponenti debent fructus, omnique causalitas, & utilitas, & partus, L. 1. §. 24. ff. b. t. n. 5. tit. 3. p. 5. etiam debentur uluræ sine mora, & conventionione. L. 24. l. 25. l. 26. §. 1. ff. b. t. Actio doli, quæ competit deponenti, si res deposita perijt apud depositarium, potest remitti, quando est de dolo commissio, quia nulli juri opponitur: dolus committendus tacite remitti potest, remissa actione depositi, in qua actio doli clauditur. L. 27. §. 3. ff. de Pact. Et quæ expressa nocerent tacita non nocent. L. 195. ff. de Reg. jur. Et quæ in consequentiam veniunt, non curantur. Expressa tamen conventionione nequit remitti, quia hæc impunitas, ad delinquendum invitaret: quod esset contra bonos mores, & publicam utilitatem. L. 1. §. 7. ff. b. t. Depositario, & ejus hæredibus contra deponentem, & ejus hæredes competit actio contraria depositi ad recuperandum damnum, quod occasione depositi passus est, & impensas in re custodienda factas. L. 5. ff. b. t. Utraque actio est bonæ fidei, civilis, personalis, perpetua, & rei persecutoria. Sed ob dolum condemnatus actione directa sit infamis. §. 2. *Inst. de Pana temer. litig.* secus condemnatus contraria actione depositi, quia non agitur de fide rupta, sed tantum de depositarii indemnitate. L. 6. §. fin. ff. de his, qui not. infam. Etiam si deponens aliquid debeat depositario, debet restitui res deposita, quin locus sit compensationi, aut deductioni cum alio debito, quantumvis liquido, ne quidem cum alio deposito, sed in hoc casu res deposita ab utraque parte ad invicem restituitur. c. 2. b. t. l. 11. C. eod. l. 5. tit. 3. p. 5. & ibi. *Greg. Lop. Gom. 3. Var. cap. 7. num. 2. Barb. & Gonz. in c. 2. b. t.* quia cum depositum tradatur sub fidelem, & diligentem depositarii custodiam, si deponenti non restituit, quando illud reperit, contra fidem datam agi videtur. In foro tamen conscientie potest depositarius depositum sibi retinere jure compensationis pro debito liquido, si aliter illud nequit consequi; dum tamen non timeatur scandalum, nec compensationi renunciauerit, nec Judæ legitimus aliud præcipiat. *Less. de*

de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 16. Potest depositarius retinere jure compensationis rem depositam, quotique ipsi solvantur impensæ necessariæ ab ipso in re deposita factæ; quia cum ipsi expensas consequi actione contraria depositi, jure compensationis eas habere potest. L. 18. §. 4. ff. *Commod. Gonz. in c. 2. b. t. num. 9. & fin. & alij.*

142 Quando in naufragio, vel incendio; v. g. non possunt simul res propriæ, & depositæ servari, si propriæ sunt pretiosiores, hæc sunt servandæ. Si utraque sunt æqualis pretij, & depositum solum in gratiam deponentis, vel etiam utriusque sit celebratum, propriæ sunt servandæ; charitas enim dicitur primum sibi, & deinde proximis prospicere. c. 9. 23. q. 5. si vero depositum in recipientis tantum utilitatem cedat, res alienas propriis debet præferre, quia ad custodiam exactissimam tenetur, sicut commodatarius, qui proinde nullam compensationem exigere potest à domino rei servatæ pro damno, quod in re propria passus est, ut commodatam pretiosior rem salvaret. L. 18. ff. *Commodat.* si res depositæ sint pretiosiores, eas debet servare, sicut res proprias pretiosiores servare, nisi jacturam notabilem pateretur, & non sit moraliter certus, se earum pretium à deponente, cujus negotium utiliter gessit, posse recuperare: nemo enim intendit, se obligare ad hoc cum notabili suo damno, vel ejus probabili periculo; ac proinde si res suas amisit, ut depositas, licet pretiosiores reservaret, potest compensationem damni exigere, etiam si in gratiam utriusque cedat contractus, cum utiliter gesserit deponentis negotium, & nulli debeat damnosum ejus officium esse. In Indijs inter officia vendibilia Decurionum Civitatum invenitur officium Depositarii Generalis, apud quem, & non alium debent deponi bona litigiosa, pro quorum custodia nihil petere valet, nisi aliter conventum sit in officij venditione. Bona tamen Communitatis Indorum, minime apud ipsum deponi possunt. L. 15. & seqq. tit. 10. lib. 4. R. Ind. l. 4. & 5. tit. 20. lib. 8. R. Ind.

TIT. XVII.

De Emptione, & venditione.

143 Emptio, & venditio, ut ferè omnes ceteri contractus, à Jure Gentium introducta est. §. 2. *Inst. de Jur. Natur. estque contractus bona fidei,*

utrinque obligatorius, in quo venditor cum emptore convenit de tradenda aliqua re, seu merce pro pretio pecuniario recipiendo: Et in hoc differt emptio. 1. à permutacione, in qua res pro re permutatur. 2. à cambio, in quo datur pecunia pro pecunia. 3. à locatione, in qua res utenda fruenda pro pensione pecuniæ, vel fructuum tribuitur. Qui rem tradit, venditor dicitur, qui pretium, emptor. L. 11. §. 2. de *action. empt.* L. 1. tit. 5. p. 5. ibi: *Vendida es una manera de pleyto, que usan los omes entre si, è façesse con consentimiento de las Partes por precio cierto, en que se avienen el comprador, è el vendedor.* Aliquando antiqui his nominibus emptoris, & venditoris in discrimine solebant uti. L. 19. ff. de *action. empt.* Imò, & quamcumque alienationem, emptionem, & venditionem appellabant. §. 2. *Inst. b. t. Genes. 25. V. fin.* Ad hujus ergo contractus substantiam, tria requiruntur; scilicet, consensus, pretium, & merx, ita ut si contrahentes discordent in emptione, vel in pretio, vel in re, nullas est contractus. L. 9. ff. de *Contrab. empt.* L. 20. tit. 5. p. 5. l. 1. l. 8. tit. 5. p. 5. 1. ergo debet adesse consensus utriusque: hic enim contractus consensu perficitur. *Princ. Inst. de Obligat. ex consensu. L. 2. C. de Contrab. empt. l. 1. l. 8. tit. 5. p. 5.* Et in hoc differt à mutuo, commodato, deposito, pignore, & precario, qui ad suam essentiam traditione rei indigent. In emptione, & venditione, non requiritur traditio mercis, vel pretij, nec quod actu transferatur dominium; sed quod oriatur obligatio dominium transferendi. L. 15. §. 1. ff. de *Contrab. empt.* siquidem vendita re turva non transfertur dominium, & stat vera venditio. L. 28. ff. de *Contrab. empt.* Venditio tamen illarum rerum, quæ numero, pondere, vel mensura constant, non antea intelligitur perfecta, quam vinum; v. g. mensuretur. L. 35. §. 5. ff. de *Contrab. empt.* quia non antea, potest de certa quantitate constare, quod ad substantiam contractus requiritur. Et sic intelligitur. L. 2. C. de *Peric. & commd. rei vend. ubi videtur imperfectum haberi contractum ante traditionem. 2. requiritur pretium. Princ. Inst. b. t. l. 8. tit. 5. p. 5. hoc est nummus, sive pecunia, quæ est æstimatio, & mensura publica omnium, quæ sub hominum commercium cadunt. L. 1. ff. de *Contrab. empt.* pretium debet esse certum, & determinatum, nec sufficit vendere rem pro justo pretio, nisi saltem relinquatur determinandum arbitrio boni viri, vel Judicis. L. fin. C. de *Contrab. empt.* l. 9. l. 10. tit. 5.*